

T. I. p. 888

12

13.

PIETAS SUPREMA
MEMORIÆ
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI,
DOMINI
BERNHARDI,
DUCIS SAXONIÆ, JULIACI, CLI-
VIÆ ET MONTIUM, LANDGRAVII DU-
RINGIÆ, MARCHIONIS MISNIÆ, PRIN-
CIPIS HENNEBERGIÆ, COMITIS MAR-
CÆ ET RAVENSPURGI, DYNASTÆ
RAVENSTENII,

+ 1678.

Jenensis

PRINCIPIS DOMINI^{QUE}
HACTENUS NOSTRI
CLEMENTISSIMI,

*INTER EXEQVIARUM PUBLICA
OFFICIA,*
AUTORITATE SUPERIORUM,
PROPRII CORDOLII NECESSITATE
REDDITA

1678

PHILIPPO MÜLLERO
SS. THEOL. D. EJUSD. ET ELOQVENT. AC POES.P.P.
IN ACADEMIA JENENSI.

12.

100. R.

SERENISSIMIS PRINCIPIBUS AC DOMINIS
DN. MARIÆ,
DUCI SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ
ET MONTIUM, NATÆ DUCI TREMOLIÆ, LANDGRA.
VIÆ DURINGIÆ, MARCHIONI MISNIÆ, PRINCIPI HEN.
NEBERGIAÆ, COMITI MARCHÆ ET RAVENSBURGI,
DOMINÆ RAVENSTENII,
PRINCIPI VIDUÆ ET TUTRICI,
SIMUL
DOMINO
JOH. VVILHELMO,
DOMINÆ
CHARLOTTÆ
MARIÆ,
SERENISSIMI ET GLORIOSISSIMI PA.
RENTIS HEREDIBUS VIRTUTUM NOMINUMQVE
ILLUSTRISSIMORUM, FELICISSIMIS,
PRINCIPIBUS AC DOMINIS MEIS
CLEMENTISSIMIS,
HOC PIETATIS PUBLICÆ OFFICIUM, ANIMO INTER
MORBI ARDORES FESSÒ, PRO EO AC LICUIT
PRÆSTITUM
PER SANCTIORA EFFICACIS EX DEI OPT. MAX. GRATIA SOLATITY
VOTA, HUMILLIME OFFERT
PHILIPPUS MÜLLERUS, D.P.P.



Oncidisse rempublicam , nihil spei reliquum, clamitabant multitudo in urbererum dominâ , miles cum armis, sine insignibus magistratus, populus per tribus, die quo reliquiæ Cæsar is Germanici inferebantur tumulo Augusti, illo modò per silentium vasto, modò ploratibus inquiete. In quas autem voces ac habitum dolentium Nos convertemur, ostentu funeris quo Serenissimus olim & optimus Princeps noster conditorum implevit ? Ullane clades huic quâ sumus affecti ab irato Numine, par excogitabitur ? aut capietur dolor acerrimus , quo minus suâ quisque domo prorumpens, vagi & furentibus similes totam urbem luctu ac moerore compleamus, nullis questibus omissis quos in eo casu indignatio suggerit ? Nam subditi justissimum & mitissimum dominum, cives optimum & prudentissimum Principem invocantes , certamen quodam moeroris edunt : Simul indignati , tam viridem & in flore ætatis fortunæque, invidiâ quadam DEI, ereptum rebus humanis. Vigor ejus & vultus præsidentis provinciis, regentis negotia, meritis præmia tribuentis, recursant oculis. Quid? cum bellum habeat Germania, ac ipsi fœdere proprio illigemur, ubi nunc vigil ille, ac defensor? Sive infelicia arma processerint , & delectus ac supplementa militum, equi , arma, commeatus, pecunia, consilium maximè præsentarium ; sive pax vagis rumoribus spargi cepta coiverit, viro Principe opus est, qui transitus, hyberna, conditiones cunctas moderetur , qui immodos regat, superbos coercent, miserorum indigenarum corpora, fortunas ac vota generosè tueatur. Væ nunc, vae regioni, cuius Princeps planè infans est , levissimi cuiusque opem injuriamve admissurus ipse. Ecquis verò, Patres, virtutis vestræ par aestimator, cives, industriæ autor & retributor extitus est: Hei

E 2

mihi,

PIETAS SUPREMA

mihi, cum oculos acrimoniâ lacrymarum langvidos in adversam sedem verto, cum te, *Dive Bernharde*, reposco, ut nostræ pietatis exempla vivus, valens ac floridus acceperis, inspexeris & variâ bonitate permulseris; nunc rebus adeò retrò sublapsis, obstupeo assurguntque comæ, & vox fauibus hæret! Illene ego, qui tot annis hæc pulpita *vicariis insignium* ingeniorum Gratiis animari, *Natalia Principis* publico plausu veneratus, egone non nisi in funera natus, & nænia factus, & destinatos vivo sospitique pro meo captu statuque paupertino honores, alio longe eventu exsolvere adactus sum? Sicenim *Infantem* Wilhelmum, primam Patriæ spem, olim deplorabam. Sic & Patrem ante diem tam luctuosè ereptum, imbelli hac voce lamentari jubeor: adeo *Syfigambim* Persicam imitari, ut vestra omnium malia capiam solus. Sed parendum est SCto Vestro, *Proceres Venerandi*, & ceu quædam sit flere voluptas, indulgendum, Heliadum ritu, dolori publico: quem tamen proprii sensus incendium sponte inflat & vitalia ipsa depauperat. Ferte nunc *A. H.* ferte cineres *Bernhardi* huc, ut Agrippina carissimi sui, & Polum in *Electra* Euripidis probè æmulamini, si quid Principem in fortunâ suâ, non fortunam in Principe Vestro coluistis, & Hæphestionem Cratero confudisse, decorum agnovistis. Mihi hanc date veniam, si forte recentium affectuum doloribus, fessus mœrore longo & febri jam peracri rabidaque tostus, meique tam animi quam corporis incertissimus, antear. Nam ab infimo desiderio & mulieribus lamentis vocor ad contemplationem virtutum Bernhardi, quibus vel hostes in percunte indignius æmulo ingemuuisse scitis. *Rex regum Simandius sum, si quis, qualis fuerim,* & ubi jaceam, nosse velit, meorum aliquid operum exsuperet. Superbus erat sepulchri titulus, quo Simandius ille Ægypti monarha, indice Diodoro ostentabat se. At forte non sit cur nostra tempora, & fortunas regnantium componamus barbarorum potentiae formidabili, luxuque in ipsis cineribus immodico. Nec Periarum Magnus Rex olim Socratem anteibat, tam vulgo vilem, & pla-

MEMORIALE.

plane privatæ fortis hominem, nisi *cum justior ipso videtur*. Animus est qui magnos facit, & tenor actionum, in quibus imperantium decus & civium salus vera resplendet: Nisi Turcicam truculentiam, Tartaricam agrestiam, & si quid aliud atrocitate sua terret ac turbat orbem terrarum, viros demum & D̄is superis pares opinemur: dememores planè, ut talium latrocinia solis scelerum sociis probentur, ac ultimus ad generum Cereris descensus sine cæde & sanguine raro fiat. Nobis qui virtutis cultum profitemur, & uno hoc spectaculo, quām propè accedant ad exemplum *veri boni*, explorandos mortales statuimus, *Opera Bernhardi Hermathenæ* erunt scruntibus, *qualis* fuerit, & *ubi situs* sit. *Operadico*. Nam *genus* & proavos & quæ non fecimus ipsi, inserunt sanè Regii Spiritus vim, incidunt imitamentis probatis, & reverentiam in publicum circumdant. Nec clarius tons honoris congeniti est, quām *Antiquitas Rutæ Saxonica* à Witichindo usque dedueta: quam tot nomina belli pacisque artibus illustria posteritati ingerunt, peploque Minervæ intextam ostentant longè; ut nulla famosi ortus nobilitas huic præponi, raro ulla componi possit. Sed Noſter Princeps, nisi quantum exemplum à Divo *Wilhelmo* patre accepit, & in *Patruis* & *Agnatis* reliquis spectavit, propriis dotibus excelluit. Quarum initia nascendi felicitas, ingens Dei munus, tanto altius ac latius conlevit, cum Parrens uterque prolem ad maturum ævi & actionum decus, memori officii patrii curâ certatim enutrirent. Ac mirè jucundum sit documentum educationis, quo illustre hoc ingenium properavit per omnia togæ & sagi documenta; ut morum gratiâ exquisitâ, liberali eruditione & usū linguarum expedito inclaresceret; dum corpus saltandi elegantia concinnat, equitatio firmat labori, & venatus fami, siti, per vigilio, periculis, ut familiaribus insuefacit, more compari Persicæ nobilitatis & Germanicæ fortitudinis; quam hostis Tacitus pridem, ut ante Xenophon istam, effigiavit. Quæ, (ut *Rhetori* olim *Infantia* sola sui principis, amplum perorandi argumentum præbitura,) majoribus indies specimini bus

PIETAS SUPREMA

nibus obteguntur. Agamemnoniam quidem adorem, ceu palmas maritatas, heic coalere video ; αμφύπερν βασιλές τάχαθος ξεγλεεցεταιχηνης. Alterum *Pacis*, quæ maximum generis humani bonum est, alterum *Belli* argumenta ediderint. *Pacis* prima ac sapiente dignissima professio. A quâ abhorre & cum C. Caligula queri *defectum calamitatum que atrociores non insigniant tempora sua*, monstrum & pestem orbistarum certam arguit. Terò & amplius felicem provinciam, felicem principem, quem animus in odia & tumultum corruptus non invaserit! uti vicissim Germanis quibusdam ducibus is pruritus non infrequens fuit, ut militem Curio indueret, ut genti pacem ferre scienti stimulos furiales cum Attio Tullio adderent, & Imperatoris nomen aucepantur, parentur, suâ clade docti, quo periculo quies honesta sollicitaretur. Duci Bernhardo quid majus meliusve debeatur quām *Pacis* bona universa? Hæc, pro quibus Parens & Patrui necessaria arma induerant, & libertatem Germanicam generosè propugnabant, Noster Heros tueri, dilpertire & novis accessionibus indies augere pretium duxit. Quod nec ipsum sine armorum vi integrum est permisum, impotente *Gallorum Svedorumque* contentione; Germaniam faciendi suam prædam; & spolia absunta totius corporis raptu supplendi. Præceps in turbas Gallia, cumque naëta dominum qui nec sibi nec aliis quicquam immotum fineret, illecta tot successibus inter gentes, quæ victæ domesticis vitiis, alienæ injuriæ jam pridem paterent; tentatæ & perpetrata quibus coercebatur, foederum rupturæ, ad Christianæ Europæ servitutem ruebat impetu solito. Nutabat subruta dudum Hispania, ac ut procideret, tibicen Batavus propelli debuit. In hunc, passim criminosè impetum, expeditæ bipennes, fraudes structæ, & corrupta ubique fide ci-vium, obsidia simulata deditonibus ante pactis soluta; rebusque partium conclamatis, in latus alterum Germaniæ Rheno-mosellanæ similem vim exercuit; per pulitque retrahentes & nimis cunctatores Teutonas ad jugum à cervice repellendum. Quod eo successu tentatum iri, ut Gallica ambitio

MEMORIAE.

bitio fine tamen suo excusla, intra limitem redigatur, & modestiorem viciniam præstet, ipes non vana alitur: licet intellæ suspicione, expilationes, injuriæ ab iis qui tutari debuerant, simul studia Gallicisstantia, & Neutralitas indigna hoc seculo & statu, exploratae victoriæ fructum interpellatura, ac pace solùm pristinâ utcunque commutatura videantur. Meruit verò fidi fortique ope consilioque Rutata Domus Saxonæ Ducum, ut communis patria sese ipsi æram, se clientem, se alumnam profiteatur: is rebus ac *dubiosis* & *asperis* Principum nostrorum sensus & studium pro causa patriæ eluxit: Nec veriti sunt, cum præsertim hyberna & militaris ferocia aliorum ingravescerent, singulari fœdere cum Cæsare pacisci, & suas copias in hostem Germaniæ emittere, nulli impensæ, odio, periculo parsuri, dum domi pax illibata floreret; nec futus hostilis uspiam viseretur. Quod elogium *Spartani* regis quam prosperè occuparit Bernhardi pervigil prudentia, verbis eloqui difficilius est, ubi rerum testimonia agros cultos, pagos instructos, urbes opulentas, securitatem altam, fœcunditatem mirificam, artes, mercimonia, opes copiasque ubique ostentant: Quid nunc ipsas Bonæ mentis forores & magistras *Virtutes* provocemus; si juvet ire per officinas singularum, & perlustrare exsnuantes sese Gratias, quibus innutriti sumus. *Pietatis* primùm quanta sanctitas hoc pectus animabat? ut, Theodosii Imperat. Junioris ritu, domum suam *matutini vespertinique sacri* observantiæ propria adstringebat? publicam civium religionem per se ipsum & palam ducere, & arcana in DEUM O. M. devotione adeo incendere cupiens, ut Principis regia cōdem & *Jehova sacrarium* catervatim adiretur, verbiq; divini auscultatio fessam in statis auditoriis pietatem denuò inflammaret. Quæ gloria in tam exordi & profano seculo tanto est illustrior, qvùm Hetrusci an Stygii doctoris disciplina pervetus & ante Florentiæ cunas prodita, aularum plurium ambrosia sit, ne quid ibi nobilius, nisi *αθεον*, dirumque dictu, inceptu factoque cognoscamus; eamque *Politicanam libertatem* magnis demum & generosis ho-

E 4

mi-

PIETAS SUPREMA

minibus dignam celebremus. Simulacris saltem pietatis ad vulgus continendum, ad alios fallendum opus, ut Ægyptii sacerdotes *ibidum rostra* ac alias in Hieroglyphis larvas populo proponebant; ne suum porrò faciat Pontificia cathedra ingenium, obducere fabulam & fucum *simplicitati* mortalium, præcipue *Teutonum*, quos intra tuos fines exagitant præpotentes illi lemures. Factum, quod horrens referto, ut in hoc ipso bello victori è prælio Principi oblatus plausus cā conditione placuerit, *sit tamen DEI nulla mentio inserta esset.* Licet hæc etca pecuniā emungendi provinciales prima sit, *Constantia imperantium promissa in religione.* Quasi verò hoc tunc ageretur, nec injurantes id suo maximo in utrumque bono malove aut servaturi aut omissuri sint,

Curvae in terras anima eō cœlestium inanes.

Bernhardo, Principem verè dīlēphēa Deūm genus, curam, exemplum, imitamen agnolcenti, à Deo Deiq; explorata voluntate auspicia actionum omnium capi oportere, adeò certum erat, ut inter portenta haberet levitatem profanam, nec in ullo suorum speciem hanc ferret: cives suos ad D E U M generis statusq; sui caput & autorem converti, divinis imperiis obsecundari, decus Regis Regum undequaque inclarescere, summum studiorum omnium haberet. Impleant oculos, sensusque omnes templa christiana, maximum omnino urbis, dignâ piissimo Principe sede coruscans, & Zelum illum auratis stricturis undique perfundens; ut opera divino honori præcogitata, tot cultorum Dei fomenta, ornamenta, nova fortuna, testis & illex probitatis non semper inprosperæ. Ex isto fonte bonorum, qualem Croesus Sardibus suis aperuisse docebat per artes liberales, velut ex Edenio Hydrophylacio, rivi plures manarunt; inde Justitia, inde Clementia, inde doctrinæ salutaris humano generi amor perpetuus. Præsesipse tribunalum ac spirans Astræa, cui oppressio à civi à superioris impotente Dominatu, non protenus subvenit? Cui jus æqvum precanti non dedit se? quis in variâ, ut tempora sunt, rerum suarum jactatione, Pharam

MEMORIÆ.

rum hanc salutis non conspexit , hunc portum è procellis
nontenuit ? Sontes, nisi quà jus & exemplum urgeret, frui
gratiâ & in melius reformare vitam gaudebat : Nemesin
quoque vindicem adeò revocabat, à summo rigore, ut nul-
la tristior sententia quàm humanitas vitæ admitteret , per
ipsum non clementer mitigeretur ; præcipue ubi *Majestatis*
lex exercenda esset, Tiberiana dilatio , & Domitiani rubor,
ac Septimii Severi Sardonius risus nil minus quàm hanc *hu-*
manitatis adem obtinebant. Malebat enim nescire literas,
quæ sanguine humano miniatæ ducerentur, & mortuis vi-
tam reddi à se non posse norat, quàm salvus utiliter relinque-
ret. Obversatur hodienum oculis nostris ac longissimè pro-
micat illud clementiæ specimen, quod Natalium heu supre-
morum lætitiam insignibat. Profugerat miles & quan-
tum morte justè luitur , furtò perfidiâque fœdâ militarem
disciplinam solverat. Auxiliares copiæ ad limitem festina-
bantur , ac opus exemplo erat, ne obsequium militare solus
Papyrius ad salutem publicam assurerere videretur. In oculis
supplicium erat ; & ne ipsi reo suum exitium improbari pot-
erat. Scalas subduci, & longam hunc literam esse, tanta ho-
minum in id coëuntium multitudo sele conspicari jam pu-
tabat. En verò, ut mitescit generosum pectus, & quicquid
humana potestas remittere potest, in sui operis parte habet !
Misertus Princeps illius improbi, & ultimi supplicii horrore
perfundi satis ratus, veniam dari , gratiam vitæ fieri præsens
pronunciat. Ex orco verò tum sele tentit retractum, ille ma-
lesicus, & stupet ad bonitatem , quâ se indignum norat.
Mirata tunc concio universa eventum est, & sensit animi ma-
gnitudinem, quæ tam illustri exemplo agnosci mallet: non
passura ut dies publicæ omnium saluti natalis , vel ignobi-
lissimâ fontium morte funestaretur. Verum is efficacis Prin-
cipum præsentia geniis est, ut velut sol quocunque vertitur,
vitali tepore refocillet rigentia , & suæ bonitatis stricturis
animet quicquid emori jam & spe ipsâ cassum videtur. In-
quies & indefessus agendo spiritus materiam rerum parem
suæ magnitudini quærebat; si quod domi negotium, si fo-

Fruit of *Oncidium* *iris*

PIETAS SUPREMA

ris occurreret , & principem posceret, ipsetum Bernhardus gerendis rebus adesse, ipse dignoscere singula, & Principem facilitate admissionum responsionum gravitate salutari, indulgendi temperie perpetuâ tam perleveranter agebat , ut nunquam fessum audiendo,nunquam aversum implorantibus,fentiretis:ac tam sui negligentem & jurandi pertinacem incusaretis verius,qui ante proprias delicias labore aliis prosperum haberet, horasq; sibi omnes perire statuerit,quæ humanis votis divinoq; honori non darentur. Prodite enim in lucem , vestrumque servatorem appellate tot ærumnosi , quotquot Zelum pietatis afflictæ, injurias hostiles , naturæ damna questi estis, celebrate hunc fortunæ vestræ miseratorem, hunc votorum impetrabilium conditorem , & munera fati lætioris ex Bernhardinâ humanitate exponite. Non ille dignum nomine *Principis* & hujus *Christiani* censebat cum , quem durities immitis averteret à spe affictorum, qvum & infideles Turcæ satis benigni in miseros noscantur ; plebem inopem Romanos Principes gratuitò frumento aluisse meminerat, & Sinenses Imperatores propria misericordia patrocinia , medicamina , alimenta parasse sciebat. Quos verò æquare omni contentione nitebatur, in nobili virtuosorum curâ, quantò speciosior in bonos , in sinceros honesti cultores & æstimatores propensio habetur.

Occupabat hos beneficio, & instrumenta publici boni absolvere curabat eos qui elegantia ingenii, industriâ studiorum, doctrinæ exemplis dignos fese erudito nomine, civitate Academicâ & favoribus publicis præstabant. Quocunq; me verto, quotquot Vestrûm,Auditores,conspicor, Domini Nostri excellens in singulis gratia tot idem spirantibus imaginibus resulget. Felix Jena, cui hæc lux lumen tam serenum, cui tam vividus caloris fons infudit ubertatem lætissimam! quò aliò autore firmius condi, altius erigi , pulchrius ornari , indulgentius foveri poteras ? Fuisse recordamini, qui equis , armis, venatu, jactu , pilâ lusuque alio vitam dominatricem ducerent , abuti patientiâ hominum , & inter vilia servitia ducere auderent eos qui claritate Doctrinæ ac probitate morum ad decus huma-

MEMORIAE.

humani generis nati erant. Qvam longè autem Noster à Cicinio? quā subtilis ingenii sagacitate perquirebat rerum causas; pensabat merita actionum vitæ, & dignissimam Principe intelligentiam rerum humanarum divinarumque suam faciebat? Inde Regia Bernhardi *virtutum* erat officina, quam Lampridius Alexandro Severo, Jovius Francisco I. Galliae R. instructam refert. Inde *Mensa Principis* munditie eleganti, gratiofa modestiæ, doctrinæ, & amœnitatum omnigenarum ferculis variabatur, adeò, ut non solius Platonis cœnæ etiam postero die palatum permeârint; sed

Ante diem serò componat vesper Olympo,
quām oculis emitiri delitarum ordines infinitos, & volutatum purissimarum strues transcendere ingenio licuerit. Nec tamen recensu sollicito opus ad Vos, in omnia testes, tam recenti imagine pristinorum decorum, & uno maximè desiderio amissi, quō autore ac duce nec fervescens virtus elanguit in cursu salutari, & juventus acri percita stimulo nil reliqui ad summam industriam fecit. Nemo jam fabulosum è Græciâ Apollinem, ex Ægypto Mercurium ter maximum, similesque veris animi bonis praefides accersat: Bernhardus in aurea istâ *quietis valle* vivum scientiis Gratiisque numen affulxit. Ipse senam à cunis propè illustribus nutriculam obtinuit, ille vix dum puber tyrocinio imperii futuri omnino, Magnificentissimus Academiæ Rector tot animas virtuti sibiisque devotas duxit; ille euntibus in virum annis, Jenam olim prædilectam tueri, & præcipuis vitæ ornamentis ad alienam invidiam, ad gloriæ mansuræ vim persolere, primum suæ charitatis sacramentum habuit. Circumferat quisquis Jenam intrat, oculos curiosos, & quām natura metamorphosin induerit, quæ ruderibus casarum palatia infederint, comparet pristinæ egestati, & immensum hoc Principis Jenam nullo pari exemplo tenentis, augmentis per beatissime munus æstimet cordatè, quām meritò Nos D E O eximiè charos & tot populis, urbibus, Academiis, antelatos infinitis parasangis, gloriemur.

F 2

At

PIETAS SUPREMA

At o

Nesciamens hominum fati fortis que futura!
Evanuit momento nostrum illud decus! occidimus! Spar-
tanis quæ nunciabant apud Thucydidem vieti ab Athenien-
sibus : perierte bona. Mindarus cecidit ; milites egerent,
nescimus quo nos vertamus; hoc modo proclamare querita-
rive cogimur. Periere tot Jenæ florentis gaudia! Bernhar-
dus obiit! nos miseri, nos turba sumus sine duce, sine tutela-
ri! Ver autem hoc , non anni lumen & voluptas prima sit,
sed *sacrum* illud Romanorum, quo ad avertendas Deum iras
omnem factum devovebant. Heu mihi! ut Deum, ut iram
Dei imprudens nomino! Nempe DEI irati hoc specimen,
hæc vindicta in fontes est. Ingrati acceptorum usufructua-
rii, arguimur in hoc vulnere, quo concidimus. Dederat in-
dulgentissimus Jehova ingens hoc munus; quo caute & gra-
to trui animo, Nostri erat officii. Abusus' est nemo? nemon'
Principem eā pietate , eā humanitate , eā nostri curā prædi-
tum, velut in jus & proprietatem datum interpretatus est; di-
laplus in securæ malignitatis ingenium? Reos equidem dies
hæc agit ; & cum bona nostra ignoraverimus , amissis de-
mum advertimur. Vana nimis est & improba arguendi
Deuni semper bonum & innoxium impatientia, ob tam tri-
stem sententiam; atrox cum Principe desideratissimo expo-
stulatio, velut desertore, cui vicem tot annorum meriti nec-
dum solvimus. Quid enim libertatem, à diutinis pro salu-
te publicâ curis expedito, & tranquillas in præparato cœle-
stis gloriæ throno sedes objicimus? hoc nimirum agitur:
obstrepitur sapientiæ fati, & quanto consilio divinitas Prin-
cipum. Vitam mortemque admoderetur, indignius igno-
ratur. Ut omnes nascentes morimur, etiam respalicæ ve-
lut homines, indice non absurdo Charonte Stygio ad Alexan-
drum M. Monarchias pristinas repetenti. Sed cum brevis
& publica via lethi sit, famam extendere factis, hoc virtutis
opus. Noster heros altam & æternam quietem magnis
operum exemplis , ut res humanæ ac tempora nostra sunt,
redemit. Quis fuerit, terræ alio sub sole calentes, Germa-
nia

3A

MEMORIÆ

nia tam pretiosi pignoris parens, ac vel una hæc Jena docento. Illæ obeuntem urbes populosque Saxo-Vinariensium Ducum excellos spiritus & virtutem invictam mirabantur. Ernesti, Bernhardi, Johannis Ernesti, Friderici Wilhelmiq; recentissimam strenuitatem, patriæ libertatis vindicias, fortunam in bello , decus in pace, insignem utriusque incepti successum gratantes invicem complectebantur ; Maximus Ipse Principum, Imperator Ferdinandus III. primum adolescentiæ florem non sine teneriore eximiæ voluptatis sensu delibans augurabatur. In quos se fructus aucturus Noster esset ; hosdem Leopoldo deinde Augusto copiosè editos , bello à quo necdum requiescere datur ; Jena verò , toties Bernhardi meritorum monumentum illustrissimum , quoties hos colles, hæc viridaria, has arces, fora, templa, domos, homines ipsos intuemur , quam conscientiam pro Principe non circumfert ? In hac, in animis singulorum, in moribus & judiciis omnium, velut Mausoleo , an verius velut spirans augustiori specie totidem palatia implet, & se se vindicat ab lamentis muliebrisbus, virtutū suarum, quas lugeri aut plangi fas non est, traditâ contemplatione ; & maximo ad publica vota sui documento, quod duret ad posteritatem, quod reddat Serenissima Mariæ, Dominæ ac Parenti optimæ , quantumcunque amissum lugentes tumultuamur. Ecce enim illa salutis auguria , en lumina vitæ speique clarissima, *Dn. Johannem Wilhelnum, & Dn. Charlottam Mariam,* parò Deo & humano generi, Nostro maximè amori, Delicio & gaudiis gratiosum ! Ruminalem olim ficum in Romano comitio, quæ super octingentos & quadraginta annos Remi Romulique infantiam texerat, mortuis romalibus & arescente trunco deminutam, prodigii loco habitum est, donec in novos fœtus revivisceret. Nam Cæsarum nativum sanguinem in Nerone defecturum præfigâ vanitate conjici, recentiores interpretabantur. Prociderit licet & exaruerit ficus hæc, hic dulcioris vitæ nutritius; at revixit jam ante in fœtibus istis; nec mors ipsius perinde ad horrorem accipi debet, ac ficorum trium, *Alexandrinis* quæ vocitaban-

PIETAS SUPREMA

tur ficubus latarum , ad tentorium Alexandri Severi casus, paulò ante obitum Cæsaris. Superest vindex & instaurator Paterni Genii ; hunc solem, ante jam orientem, quām occasum minaretur prior venerati, nil secundum obtinemus à vicisitudine mortis vitæque regiae Gallorum. Proclamitetur licet lugubribus tonis : *Ducem Bernhardum mortuum!* *Ducem Bernhardum tumulatum,* *Ducem Bernhardum gloriavt Nostram ablatam esse!* At quantocvus optabilior vox responfat : *Ducem Johannem Wilhelmm vivere!* *Ducem Johannem Wilhelmm florere!* *Ducem Johannem Wilhelmm prosperare & felicissimè patrissare!* In hoc vigore Parens mortis victor ovat ; in hoc exemplo superstata spes publica, in hoc pignore salus Nostra vivit, floret & perennaturis fructibus intumescit. Heros ille ante senium corporis, ante fessas animi vires, ut vitæ claritate, moriendi quoque oportunitate major, fatum, qvum necdum exspectaretur, implevit, exiit usum mortalium antequam satiaretur sumentium avaritia ; & *Immortalitati*, feræ plerumq; & anxiæ ætati vix dum impetrabili, *consecratum* lese non alio animo accipere potuit , ac victoriam Dux mediis bellorum tumultibus circumventus, sudori sanguinique plurimo domum venalem. Ergo libens & constans excepit vices tantas, animumque magno & principe viro dignum, adeò quod rectè miremur; corporis habitum incolumi propriorem servavit; uti Asiae Domitor persalutatus à milite omni, genus suum & virtutem supremò hoc vitæ actu , viribus dilapsis, testabatur. Nil oculi ejus desiderarunt in novissimâ luce, cum supererent omnia ex desiderio nostro ; & in cōplexu conjugis charissimæ, in aspectu Liberorum; inter solatia unici, qui natu maximus feliciter hodienum imperat, fratris, Serenissimi Ducis *Johannis Ernesti*, Domini Nostri clementissimi, cui vitam & gaudia à Deo Optimo maximoque ! cùm inter hos proximam à Creatore suo beatitudinem, totus sanctissimis votis cupitam, prospectaret: cùm veras provinciarum , scientiarum, virtutum lacrymas sisteret *Optimi* cui ipsas reliquerat, Successoris immenso beneficio.

Nos

MEMORIÆ

Nos igitur A. dignius quām ut otiosē lugeantur Bernhardi dotes decoraturi justius, quām ut laceretur illā impatientiā felicitatem Principis beatissimi accepturi, honores, quos Alexander ante laudatus, tunc, *cum cives essent felices*, sibi despondebat ab ipsis, modō quem ratio sobria & pietas definit, Patri Patriæ, *Domino, defensori, Benefactori piissimo, justissimo, constantissimo, indulgentissimo* apparabimus. Utut in Mauolæis, Pyramidibus, Colossis, & æquante veterem ambitionem opulentiam modernæ Asiæ, Americæque, vix cenis & umbra, sed solum nomen, moles, quibus ingemiscen- tium populorum labor immortuus est, vastos insignierit. Nos non paulò firmiore monumento nostræ fidei & amoris sensum nobilitabimus. Cineres charissimi Artemisia libet nectaris diutino haustu. Bernhardi memoriae animos fidelium civium imbuunto. Servent Ægyptii corpora suorum, in mumiarum æternitatem durantia, intra penitrale ædium annò & amplius, eorum conspectu & præsentia umbratili solaturi damna amissorum; sed Princeps Noster maneto in votis piorum, in exemplò impe- rantium, in gloriâ Eruditorum: Si quæ Iudibria mor- tis in hoc atrore & castri terrifici ostentu, in illo affectu- um inquietorum certamine incruduerunt; contra Sol oriens, & diadema sceptrumque heredi traditum de integro irradians, præfigito Futurum Bernhardini nomi- nis & gloriarum incrementum. Vive nunc Pusio ac pupe charissime, vige & flore spes & fortuna nostra, Princeps Johannes Wilhelme, indu paternæ pietatis, huma- nitatis, elegantiæ, æquitatis, prudentiæ, magnanimitatis, ac tot, quas quantasve humilis sensus adorat, non complectitur, virtutum uni tibi jam cœlitus servatum, uni cir- cumpositum humanis omnibus, votis, studiisque decus! Tuo genio innutrimur, tuæ speci inhæremus, tuis lumini- bus oberrant nostræ desideria, tuis incrementis inhiat no- ster profectus, tuæ felicitati gaudia civium fidelium de- spondent se. Dum ipsi Parentem Tuum Nostrumque, magnis ut diversis amoris nominibus, admirando & con-

PIETAS SUPREMA MEMORIÆ.

celebrando asserimus nobis ab indomito mortuum impe-
tu , Tuque & Soror florentissima sic coletis memoriam
tam gratiosam ut omnia dicta factaque sensibus obver-
sentur, famaque præclarri moris, & figuratus in Vobis vir-
tutum excellarum genius eluceat indies. Tantis indo-
les animata Gratiis , quām sincero gaudio perpacabit ma-
trem cum luctu acerrimo conflictatam , & ita Divinitas
mitis Nobis ac propitia sit! Olim vietricem tam certo re-
rum eventu, velut παλιγνεσίᾳ Θεοδότῳ Nobis renati ipsis , in
Vestrâ adolescentiâ provecti ad pristinam fortunam, in vi-
vace muscularum virtutum magnitudine Vobis cum re-
gnare, triumphare, æternare videbimur ! Dixi!



Wc 2584

40

ULB Halle
004 969 014

3



VD 17

M. C.

SERENISSIMIS PRINCIPIBUS AC DOMINIS

DN.
DUCI SA
ET MONTIUM
VIAE DURING
NEBERGIAE

PRINCIPI

JOH.

CH


SERENIS
RENTISHE

PRINCIP

HOC PIETATIS
MORBI

PER SANCTIORA

PHILIP



RIAÆ,
ACI, CLIVIÆ
OLLÆ, LANDGRA-
Æ, PRINCIPI HEN-
RAVENSBURGI,
II,

TUTRICI,

ELMO,

TTÆ

OSISSIMI PA-
DOMINUMQUE
IMIS,
MINIS MEIS
S,
ANIMO INTER
AC LICUIT

X. GRATIA SOLATIT

IS, D.P.P.